



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De non ordinandis episcopis per vicos & modicas ciuitates. xxxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De abiectiōe eius quem duo præsumpserint ordinare episcopi. Cap. XXX.

DE abiectiōe eius quem duo præsumpserint ordinare episcopi, in nostris prouinciis placuit de præsumptoribus, vt sicubi contigerit duos episcopos tertium consecrare, & ipse & autores damnabuntur, quòd cautius ea quæ sunt antiquitus statuta seruentur. *Ex cōcil. Arausi. cap. 20.*

De non ordinandis episcopis per vicos & modicas ciuitates. Cap. XXXI.

Licentia verò danda non est ordinandi episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica ciuitate, cui sufficit vnus presbyter, quia non est necesse ibi episcopum fieri, ne vilescat nomen episcopi & autoritas. Non debent illi ex alia prouincia inuitati facere episcopum, nisi aut in his ciuitatibus quæ episcopos habuerunt, aut si qua talis aut tam populosa est ciuitas, quæ mereatur habere episcopum. Si hoc omnibus placet. Synodus respondit: placet. *Ex cōcil. Sardicēsi cap. 6.*

De eadem re. Cap. XXXII.

Illud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta seruari, vt non in quibuslibet locis, neque quibuscunque castellis, & vbi antea non fuerunt episcopi, consecrentur, quum vbi minores sunt plebes, minoresque conuentus, presbyterorum cura sufficiat, episcopalia autem gubernacula, non nisi maioribus populis & frequentioribus ciuitatibus oporteat præsistere, ne quod sanctorum patrum diuinitus inspirata decreta vetuerunt, viculis & possessionibus, vel obscuris & solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium, & honor cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat. *Ex decre. Leonis pape, ca. 49*

De Vvamba rege Gallorum qui contra canones in quadam villula episcopatum fecerat, quomodo adnullatum est. Cap. XXXIII.

Maioribus institutionibus contraire, & sanctorum patrum decreta cōuellere, quid aliud est, quàm vinculum societatis Christi abrumpere, & vsurpatæ præceptionis licentia, statū Ecclesiæ dissipare? Prosequente igitur venerabili & sanctissimo viro fratre nostro Stephano Emeretēsis sedis episcopo, res nobis nouellæ præsumptio-